




Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. de Multipraesentia Rei finitae.
2. Tr. de Contradictionis Natura et Principio.
3. Tr. de Oppositione Enunciatorum.
4. Pansophia liberalis Tabellis repraesentata.
5. Disquisitio Magnetica.
6. Tr. de Notitiis naturalibus.
7. Tr. de Cognitione humana universa, duabus Exercitationibus comprehensa.

DE RELIQUIS CIRCA MULTIPRÆSENTIAM POSITIONIBUS, ET CHRISTI EXEMPLO.

Respondente

CHRISTOPHORO JARMERO, Malchinô-Megap.

THESIS LXXIV.

TAmen id fieri posset per alterius modi præsentiam in omnibus locis, scilicet creatam & pendentem ex alienâ DEI virtute. Quâ ratione enim unum corpus in pluribus locis sine repugnantiâ esse posse defenditur, eadem & in omnibus esse posse defendi potest. Ibidem Scotum, Roffensem, & Sotum *pro hac sententiâ allegat. Eandem* Iac: Fabri Stapulensis in c. 12. ep. 1. ad Corinth. *fuisse fatetur.* Idem T. 1. in Thomam d. 1. q. 8. p. 4. & co. Iac. Andreæ p. 40. *profitetur.* Biel. l. 46. sup. Can. Missæ, & l. 1. Sent. d. 37. q. un. a. 3. DEus, inquit, posset replicare Corpus ad diversa Vbi: & sicut ad diversa ubi, ita & ad omnia. Similia apud Arriagam d. loco. n. 101. 102. Mendozam d. 14. Phy. §. 57. Tannerum T. 1. d. 2. q. 4. dub. 3. n. 12. seq. aliosq; *vide.*

75. Ita duæ positiones nostræ, præcipuæ hoc in Negotio, sint statutæ, obstantibus, *quæ contrà ferri possunt, amotis.* Iam ad cæteras in præsenti negotio pergendum, & quæ adhuc restant, subjungendæ. Dico III. Eadem potentiâ, quâ Corpus aliquod in multis locis sisti potest à DEo, & Spiritus Creatus in multis ubi sisti poterit. Consequentiæ ratio *expedita est.* Quia si nulla Contradictio hic in Corporeâ Substantiâ, ubi moles, Corpus, quantitas, *partes materiales, dimensio, extensio, figura, quæ plus impedimenti importare viden-*

tur: Cur in Spirituali ſubſtantiâ *Contradictio agnoſcatur*, *ubi multa ad facilitatem rei hujus facientia occurrunt*, *ut ſumma eſſendi ſubtilitas*, *movendi agilitas*, *partium*, *molis*, *quantitatis & extenſionis carentia*, *ſimplex adeſſendi deſignatio tantùm*, *non materialis ſpatij occupatio*. &c. 2. Quia Spiritus non habet ita definitum adeſſendi ſpatium, ut Corpus, quod mole ſuâ per Naturam *ſui ita occupat*, *ut Circumſcribatur eo*, *& majus occupare nequeat*, *niſi majorem molem ſibi conciliet* : *Sed modò in majore*, *modò in minore adeſſe poteſt*, *prout liberè ſibi deſignaverit*. V. ſ. 3. §. 13. d. eſſ. alic. *Faciliùs ergò in pluribus ubi ſiſti poterit*, *quàm Corpus*. 3. Quia de animâ rationali ſcimus, quod in pluribus ubi Corporis ſimùl tota ſit: adeoq; ſupernaturali poteſtate faciliùs *in pluribus ubi ſiſti poterit*, V. ſ. 3. §. 11. 12. de Eſſ. alicub. Et hoc Tract. t. 34. Cur *de alio Spiritu id habeatur incredibile*, *â DEO fieri poſſe?* 4. Quia de alio Spiritu Creato etiam ſcimus, quòd ſit totus in tóto, & totus in parte rei, quantum ad eſſentiam & attributa eſſentialia. Conf. c. l. *Si ergò Corpus ad vegetandum ſibi ad tempus uniat*, *& totus in toto*, *& totus in parte illius Corporis futurus eſt*, *& ſic unitate eſſendi præſentias in diverſis ubi ſimùl obtinebit*. Magis ergò hoc poteſtati divinæ abſolutæ *poßibile eſſe credendum eſt*. *Conſentiunt hic etiam* Scholaſtici in 1. Sent. d. 37. ut Durandus & Richardus de Med. Vill. in iſtum locum, Valentia T. 1. d. 4. q. 3. p. 3. Tannerus T. 1. c. l. n. 13. Becanus, alijq;.

76. IV. Eadem potentiâ, quâ in pluribus locis Corpus poni poteſt, poteſt etiam ſiſti in omnibus mundi locis, h. e. Omnipræſens fieri. 1. Si in pluribus locis ſiſti contradictorium non eſt, *nec finitatem rei aut unitatem tollit*, *Cur eam tollet*, *in omnibus ſiſti? Tolleret* vel *loci ratio*, vel *præſentiæ ad locum*, vel *Corporis*, vel *in poteſtate faciente defectus eſſet*. Nihil horum. Non locus, *hic enim ex ſe & ſuâ Naturâ eſt aptus*, *ut præ-*

ſentiam

sentiam Corporis in se capiat, si actualis causa præsentiæ adsit, quæ voluntas & potestas primæ causæ *erit. Et ut tria aut plura loca unum Corpus potentiâ obœdientiali capiunt: Sic & omnia loca unum per eandem capient. Nil majus obstat hic, quàm illic.* Nec præsentia *ad locum in corpore. Hæc enim accidens corporis ad aliud circumstans respiciens. At ut DEus duplicare, aut centuplicare in uno corpore tale accidens potest: Ita & ad omnia mundi spatia multiplicare illud in eodem potest. Nulla hic est impediens diversitas.* Nec corpus: *Vt enim hoc habile est ad capienda plura loca, per potentiam obœdientialem: quæ efficax ratio dari poterit, quòd non sit aptum ad omnia capienda, si potestas eadem supernaturalis accedat?* Nec in potestate divinâ *defectus est. Extenditur n. ea ad omnia possibilia, quæq; non infirmitatem, a. Contradictionem involuunt, quod in hoc casu non esse* §. 22. 23. *probatum.* 2. Ex Scholasticis *pleriq; idem concedunt, ut* §. 74. *ostensum.* 3. Ex Adversantibus idem quidam concedunt. Beza con. Hoffman: Si probatum fuerit, Corpus in duob. locis esse posse, se facilè concessurum, in omnibus per potestatem DEI sisti posse. V. Tom: 7. Gies. d. 24. t. 174. Amesius T. 3. Bell. Ener. l. 4. d. Euchar. c. 2. §. 9. Si Corpus posset esse in multis locis, eadem ratione posset esse in omnibus. Sadeel ad artic. 28. abjur. p. 452. Op. Idem est, Corpus innumeris locis eodem tempore esse, & *ubiq; esse. Nihil n. eodem tempore plurib. in locis esse potest, præter DEum, & DEus est ubiq;. Similia* ap. Chamierum T. 2. Panst. l. 6. c. 11. §. 3. Vorstium T. 1. Bell. Contract. Cont. 2. th. 2. Tigurinos in Apolog. c. Jac. Andreæ, p. 84. Sohnium in thes. de Multip. vel omnip. Corp. Chri. Tom. 1. Op. p. 2. p. 436. seq: *aliosq; invenias. Idem* Heidelbergensib. *tribuitur* in Colloq. Hertzbergensi, p. 44.

77. V. An per potestatem divinam, Corpus ubique sisti

possit, ex termini significato ambiguum, & ex nostro impossibile judicandum est. Nam Ubiquetatem *hic* strictè *sumimus, prout* Omnipræsentiæ, etiam divinæ, contradistinguitur, *tanquam absolutum relativo, simpliciter essentiale accedenti, æternum inchoato, incommunicabile communicabili*, V. s. 2. §. 20. seq. de Ess. alicub. *Ubi* 9. discrimina *adducta*. *Qui inter* Nostros *fieri posse censuerunt, per Ubiquetatem* omnipræsentiam *intellexerunt, ut scripta testantur*. V. D. Mentzer. in Antimart. p. 17. Brochmand. T. 2. L. C. de vit. æt. c. 2. q. 3. T. 7. Giess. c. l. aliosque. *Sed hic* strictiùs *sumitur ea. Ita ergò per Ubiquetatem aliquod creatum* extra DEUM, *ubiq; sisti posse, impossibile censendum*. 1. Quia Ubiquetas solius *DEi essentialis & incommunicabilis est proprietas*. s. 2. §. 39. d. ess. alic. 2. Quia *vel ipsa infinitas est, vel hæc indissolubiliter ei juncta est, ut Ubiquetas inde pro nostrâ concipiendi ratione velut resultet*. V. c. l. *Repugnat a. creaturam* vel *infinitatem fieri*, vel *infinitam*. V. s. 3. §. 10. c. l. 3. Quia simpliciter necessaria & essentialis *est ei, cui competit, adeò, ut terminos adessendi admittere simpliciter ei repugnet*. Divina n. proprietas non est, esse posse præsentem, ubi velit: sed præsentem esse ex perfectione & immutabilitate naturæ, *ut rectè* Martinius. V. t. 50. Non solùm terminos adessendi non habere, sed nec ullâ potestate aut ratione habere posse, est hic Ubiq; esse. *At hoc* naturam corporis simpliciter evertit, *cui semper essentiale, adessentiam finitam ex naturâ sui obtinere, non infinitam habere*.

78. 4. Quia ad spatia non mundi solùm, *sed & imaginaria extra Mundū, quæ in infinitū cogitari possunt, respicit, semper n. spatiorū* aliquid ultrà *fuerit, & quasi sit, cogitabitur. Qualis* Dei ubietas *est, quæ verè infinita, nec terminos habet*, s. 2. d. Ess. alic. t. 6. 7. seq. At talis ubiquetas *proximè* infinitatem *comitatur, cujus creatum aliquod non capax. Et adessentiam aliquam* infinitam

tam *corpori concedere, est quodammodò corpus infinitum facere, quod non arbitror concedendum, cum* Taurello p. 264. triumphi V. §. 79. *Introducentur n. duo infinita; etsi alterum per essentiam infinitum foret, alterum per aliud, & principio non essentiali.* Duo tamen infinita realia actu forent, *quia terminos adessendi facto non haberent. At hæc introducere non committendum arbitror. Imò* nec de possibili *duo infinita à DEo poni posse, concedendum existimo. Et rectè scripsisse mihi videtur* Guilielm: Parisiensis, *Antiquus scriptor*, tract. de fide, c. 2. Ponere infinita hujusmodi, est destruere credulitatem eorum, quæ sunt fundamentum religionis, & propter hoc religionem infundabilem facere, quare & inædificabilem. Ubiquetas infinitatem adessendi *in spatiis infinitis importat.* Sed omnipræsentia *tantùm adessendi spatiis mundi, quæ cum mundo adhuc finita, non infinita.* f. 2. §. 5. 7. & 21. c. l. *Neq; de humanitate Christi talem adessentiam in sacris promissam habemus*, V. §. 83. seq. 90. seq. *Et quo fine Deus Corpus aliquod in spatiis infinitis extra mundū locaret?* V. t. 95. Quem & Naturā *nihil frustra gerere hactenus credidimus. Ubi tamen* Ubiquetatis vox cum Omnipræsentiā *æquipollenter sumitur, quod promiscuo usu sæpè fieri dixi* f. 2. t. 20. de eff. alic. Corpus ut multipræsens, sic & omnipræsens & ubique à DEO statui posse consentio. Sed Omnipræsentia *terminum ad creaturas agnoscit, non simpliciter est infinita, ut ubiquetas.* V. c. l. §. 21. *Quod* de Corpore dixi, per analogiam & de spiritu finito est intelligendum. *Omnipræsens sisti à DEo potest, ubiq; non.* Weigelius *angelum ex substantiâ sui spectatum ubiq; esse posse docet.* p. 2. Ph. Mysti: p. 168. 208. *Sed* Scriptura *DEI hoc privilegiū ponit*, f. 2. §. 5. seq. c. l. *Et* sana ratio *angelum Spiritum creatum ac finitum* essendo, operando, & adessendo *esse perspicit, Quod nec ipse* Weigelius c. l. p. 168. *negare potest.* Origenes in c. 1. Job. *dæmones ubiq; esse dixit, sed* subitò

mundum pervolando, non simùl omnia spatia occupando. Durando *simile quid tribuitur, quòd angelum secundùm substantiam ubiq́; esse sentiat.* V. Tanner. T. 1. d. 5. q. 2. d. 1. & 6. n. 1. *Sed* de potestate infinitâ is *fortè loquitur,* Vt §. 75. *adductum.*

79. Dices 1. Potest creatura à DEo fieri infinita durando, ita, ut finem durationis non agnoscat. Ita Angeli, animæ, homines resuscitati, finem durationis à parte post non agnoscent. *Similiter DEVS* mundum potuisset ab æterno producere, *& in æternum conservare, ut quidam* Philosophi disputant. V. Scheibler. 2. Metaph. c. 3. n. 641. seq. D. Keslerum Phy. Phot. s. 1. §. 1. Ut nec durationis suæ principium nec finem agnoscat. *E. potest etiam Corpus infinitum à DEo fieri adessendo.* Par enim horum est ratio, & *duæ velut infinitatis sunt propagines, æternitas & ubiquetas.* V. s. 2. de Ess. Al. §. 6. R. 1. Non per omnia utriusque eadem est ratio. Tempora fluunt & succedunt, non sunt simùl. *Ideò, quod duratione creatâ æternum est, non simùl in toto tempore est, sed per partes temporis sui sine fine & principio decurrit. Cum in uno tempore est, non simùl in alio est, quod jam præterlapsum. Cum in futuro, non simul in præterito a. præsenti, hæc n. desierunt.* V. §. 67. Hic actualis infinitas *non importatur.* Hæc n. omnibus partib. manentib. est, non fluentibus, ut in æternitate divinâ est, *quam totam simùl, non desinentem & succedentem, ac interminabilem confitemur. Sed in mundo æterno creato, successus temporum locum haberent.* Loca a. manent & simùl consistunt. Ideò, quod ubiq́; simpliciter statueretur Corpus, in omnibus ubi realibus in mundo, & imaginariis extra mundum simùl & unâ vice totum statueretur, manentib. spatiis, non transeuntib. ut de facto finem simùl in omnibus existendo non haberet. *At tale in partibus infinitis manentibus statutum,* simùl aliquid infinitatis comitem trahet, *quod in corpore etiam ratione ubicationis*

tionis

tionis non facilè concedendum, nisi cum ipso DEo fortè illud unum sit: *Ut de Christi* corpore *ex fide scimus. Hic singulare quid esset*, §. 82. *Sed de quo* ratio nihil constituere novisset. *Et si in tali Corpore infinita adessentia, non* continuò in alio extra DEum illa *sequeretur*. §. 77. 78. Aliàs Solum Deum *facto infinitum, ut Essendo, sic & adessendo credimus. Ubi tamen & hic phrases explicentur*, V. §. 78. Commodus aliquis sensus subesse queat, ut de vocibus non rigidè contendendum fuerit. 2. Antecedens de æternitate corporis aut mundi, *vel ullius creaturæ*, multis Philosophorum *valdè adhuc suspectum, imò prorsùs falsum videtur, ut* Gandavensi, Philopono, Alberto M. Bonaventuræ, Toleto, Taurello, Bodino, Wasio, Timplero, Keckermanno, Alstedio, *alijsq́. Quibus ex Theologis* Sadeel, Mornæus, Brochmandus, Amesius, Grauverus, Affelmannus, Zanchius, aliique *subscribunt, ut pluribus* alibi *dicturus sum, & quid commodissimè hic sentiendum, expositurus*. 3. Si justa hic analogia vrgenda, sic inferendum: *Si Deus ita æternum durando Corpus facere potest, ut durationis terminos nec habeat, nec habere ullo modo possit, tùm & infinitum adessendo facere poterit. Sic n. Ubiquetatem jam hic sumimus*, §. 77. At sic antecedens in totum negabimus, *Et aeternitatem æquè in Corpore impossibilem, ac Ubiquetatem, dicemus*. Non potest Deus hoc modo Corpus æternum facere: Essentialis n. Corporis habitudo tolletur, & consequenter Corporis essentia destruetur.

80. 2. Humanitas Christi tracta est in subsistentiam infinitam DEi. *E. & in adessentiam infinitam. Adessentia enim sequitur rationem subsistentiæ, & qualis subsistentia, talis præsentia*. R. 1. Consequentia hæc nostræ rationis est, *non in Scripturâ de* Christi humanitate *proposita a. revelata. Hæc nunquam tradit, præsentiam infinitam humanitatem Christi habere, nec*

sub

ſub iſtis modis hypoſtaseos, naturarum, Unionis perſonalis, Communicationis ſubſiſtentiæ, idiomatum, *ſed longè aliter, loquitur.* Extra Scripturam a. in reb. meræ revelationis & myſteriis abſtruſiſſimis, *qualescunq; Conſequentias nectere, & pro lubitu ſibi terminos formare, rationi permittendum non eſt. Et in ſeipſo periculoſum eſt. Nimium n. à Scripturâ ad ſpeculationes rationis abducit.* V. §. 89. 2. Si adeſſentia præcisè ſubſiſtentiam in hoc exemplo ſequatur, *E. à primo puncto incarnationis infinitam præſentiam in ſpatiis infinitis habuerit humanitas Chriſti, nam talem ſubſiſtentiam habuit. At hoc* potiores Noſtrorum Theologorum *non concedunt, & rectè: Cùm univerſam hiſtoriam Evangelicam, Nativitatem, actaq; Chriſti, & totum exinanitionis ſtatum, æquè ac exaltationis credendum, hoc evertat. Evacuavit n. ſemetipſum.* Phil. 2. v. 7. 3. Adeſſentia *ſequitur ſubſiſtentiam, ſed* ejus, Cujus per naturam ea ſubſiſtentia eſt, non cujus per peculiarem gratiam & diſpenſationem Dei facta eſt. Naturalem *ſequitur, non ſtatim ejus, quod peculiari gratiâ in ſubſiſtentiam aliquam tractum eſt.* Deitati *ſubſiſtentia infinita eſt naturalis*: humanitati *perſonalis & ex aſſumptionis gratiâ.* In hac multa evacuari potuerunt, poſtulante ita ſtatu & officio Chriſti, ut Mediator eſſe debuit: Quæ in Deitate ipſa, ejusq; naturali ſubſiſtentia & adeſſentiâ, non potuerunt. V. §. 93. 4. Subſiſtentia divina abſtractè ſumpta, *& ut modus eſſentiæ contradiſtinctus eſt, nec finita præcisè eſt, nec infinita, ut* Scholaſtici & Metaphyſici *diſputant* Modi *entis fundamentalis & Naturæ propriè ſunt, non modorum & formalitatum in ente, niſi quatenùs* eſſentiis ſuis, in quib. ſunt, realiter identificantur. Ens in Metaphyſicis in infinitum & finitum diſpeſcitur, non modus a. attributum ejus. V. ſ. 1. d. Es. Al. t. 13. *Et ſic* quà hoc punctum *infinitatis ex ſubſiſtentiâ trahendum, negatur, ſubſiſtentiam DEi ut ſic, eſſe infinitam,*

adeoq; nec ab ejus communicatione infinita adessentia in humanitate Christi colligenda. Subsistentiæ in divinis tres sunt: Non tamen tria infinita, *sed quoad* rem sunt unicum illud infinitum *tria ista supposita, & formaliter non differunt ab eo, ut aliud quoddam infinitum, vel tria distincta Entia infinita; Sed* ut modi subsistentes unius & ejusdem Entis infiniti. *Quomodo unitas, ubietas, veritas, bonitas, nec finitum quid dicunt, nec infinitum: sed sunt Entis à finito & infinito præscindentis, modi uniti.* V. c. l. t. 10. seq. Plura §. 92. seq. *patebunt. Dices* 3. Sic limites potentiæ infinitæ statuuntur, si non in infinitis spatijs Corpus sistere potest. ℞ Perinde non, ac cum non alium DEum infinitum, Corpus actu infinitum, mundum infinitum, factum non factum facere, aut Contradictoria non simùl facere posse, dicitur, V. t. 78. *Per quæ potestas ejus non restringitur*, quæ factibilium ratione est, non eorum, quæ simpliciter nullâ potestate fieri possunt. V. dec. 1. Misc. d. 5. t. 9. seq. Si Corpus *in infinitis spatijs infinitatem comitem trahit, non est de eo id asserendum,* V. §. 79.

81. Dico VI. De facto aliquod Corpus in pluribus locis â DEo statui, ex solâ fidei revelatione, & unico exemplo Corporis Christi in sacris proposito, novimus. *Hactenus de* possibili est disputatum, *quid absoluta potestas in Corpore possit.* Iam de facto disceptandum, quid fieri revelârit luminis alicujus illustratio. *Discernenda hæc duo, non membra invicem confundenda esse* §. 3. & 49. *ostensum.* Naturæ lumen factum hic aliquod vix suppeditabit, *si de animâ illud excipias, aut Spiritu Corpus assumptum vegetante, in quo analogiæ quædam,* §. 34. 35. *Quæ tamen* Spiritus, non Corpora. Gratiæ & revelationis supernaturalis lumen si consulatur, unicum exemplum facti suppetet, *sed quod velut* ingens pomum ἔριδος *diuturnis validisq; contentionibus, miseram Christi fatiga-*

vit Ecclesiam: Nec dum fervore controvertendi subsidente. Nos *in Corpore Christi Multipræsentiæ de facto â DEo statutæ reperimus in sacris exemplum.* Nobiscum *magnam partem hoc fatentur* Pontificij, *Substantialem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam credentes.* V. §. 32. *Quanquam* extra hoc punctum *vix eam etiam in Christo concedentes.* V. Maldonatum in c. 28. Matth. v. 20. Marxium in antiCoro. Meyfart: præludi. 1. 4. *aliosq́.* *Etsi* sanctis in Cœlo DEum videntibus *omnipræsentiam Eorum* quidam *asserant.* V. §. 31. *Quam in Christi humanitate tantoperè horrent.* Argumenta ê Sacris *pro eâ* 1. A promissionibus *Præsentiæ Christi Deihominis in Ecclesiâ, ut* Matth. 18. v. 20. & c. 28. v. 20. 2. A promissione præsentiæ Corporis & sanguinis Dominici in sacrâ Cœnâ, *quorum substantia verissimè manducari & bibi â communicantibus â Christo jubetur, eaq́ ratione Spiritualem suam perceptionem solidè confirmandi medium habere debent,* Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. *Adeoq́ ex Cœnæ Institutione*, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. *Et Institutionis istius repetitione*, 1. Cor. 11. v. 23. *Et sensus verborum Cœnæ, hoc est C. M. Apostolicâ explicatione*, 1. Cor. 10. v. 16. *Ac sanguinis Christi hic in terris in usu Cœnæ testificatione*, 1. Ioh. 5. v. 6. 8. *pluribus hoc deducendum.* Conf. l. 3. d. E. Al. t. 26. 27. 28.

3. A præsentiâ sanguinis Christi in S. Baptismo, *quo ab operibus mortuis abluimur, & in hæreditatem filiorum DEI per mortem Christi adoptamur.* Matth. 28. v. 19. Rom. 6. v. 3. 4. Gal. 3. v. 27. 4. Ab exaltatione Christi hominis passi, mortui, & resuscitati, ad dextram Patris omnipotentis, & subjectione omnium sub pedibus ejus, *ut imperio dextræ DEI conveniente, dominari debeat in omnes Creaturas, etiam in medio inimicorum suorum potentissimè*, Psal. 110. 1. Cor. 15. Eph. 1. Hebr. 1. *Dominium autem per modum dextræ DEI, non est quà*

substan-

Substantiam absentis, sed præsentis, V. t. 16. Et similibus *sumenda, quæ* alibi latiùs *deducenda & vindicanda*. Ex ipsis etiam Reformatorum hypothesibus *commodè illud deduci potest*. 1. Multi *in præsentiâ gratiæ & favoris præsentiam substantiæ præsupponunt, ut* Martinius & Genevenses, V.t.28. Sed humanitas Christi, *vel Christus secundùm carnem, gratiâ & favore Sacramentis & Ecclesiæ adest, ut illi ipsi concedunt*. V. c. 1. *E. Substantiâ ibi adesse antè oportet. Secùs gratiâ adesse, quà homo, non poterit*. 2. Omnes *humanitatem Christi per Vnionem personalem tantis donis & prærogativis exornatam concedunt, quanta in finitam aliquam Naturam unquam cadere potuerint. Sic enim* Reformati *communiter*. At quædam Naturæ finitæ *eam prærogativam habent, ut simùl in aliquot spatijs, esse possint, Vt Spiritus finiti, animæ rationales in Corpore humano, & angeli in Corporibus ad tempus unitis & assumptis, quæ vegetant & movent. Spiritus n. ubicunq; sunt, impartibiliter & indivisibiliter, adeoq; toti sunt*. V. s. 3. d. E. A. t. 11. 12. Et hunc Tract. t. 34. 35. *E. talis prærogativa minùs* carni Christi *in unione spectatæ negari debet. Dissentiunt tamen à nobis in facto & exemplo hoc* Reformati, Anabaptistæ, Photinistæ, Arminiani, Vorstiani, *substantialem Corporis Christi hic in terris præsentiam impossibilem censentes, ut* §. 1. *patuit*. Papistæ Multipræsentiam *in eo ita urgent, ut negent* Omnipræsentiam. *Tota hæc res* alibi *ex liquidis fundamentis uberiùs est monstranda*. Mihi in immensum operis labor excresceret, si cuncta exponerem, quæ ad hoc exemplum Corporis Christi, de facto in multis spatijs statuti, ultrò citroq; disceptari inter Scribentes solent. *Alibi, si otium, vita, occasio, suppeditent, sententias collocabo. Hic præassumendum magis illud, quàm probandum*. Credamus interim dulcissimis Christi promissionibus, Matth. 18. 26. 28. *Et promissa Eum præstare posse statuamus, Etiamsi Cæterarum difficultatum nihil teneamus, aut solvamus*, t. 48.

82. Dico VII. In Corpore Chriſti ex revelatione cognito, longè facilius eſt multipræſentiam poſſibilem agnoſcere, quàm in alio ullo corpore naturali. Ratio ex ſequentibus ſumitur. 1. Quia hoc corpus ſeparatum ab hypoſtaſi humanâ, & tractum ad eſſe perſonale ipſius hypoſtaſeos divinæ & infinitæ, de fide credimus. *At ſi DEUS longè propinquius eſſentiæ humanæ tollere potuit realiter, ſubſiſtentiam humanam, & longè* difficilius *in eâ præſtare, in ſubſiſtentiam divinam & infinitam inferre: poterit &* remotius *tollere, locum externum, &* facilius *in corpore præſtare* multipræſentiam, quàm divinam ſubſiſtentiam. V. §. 15. *Et ſi hoc corpus* in tale ſuppoſitum *tractum, ut cum eo unum perſonale faciat,* quod pugillo aquas, palmo cœlos, & tribus digitis molem terræ appendat, *ac coram quo omnes gentes ut nihilum & inane reputentur,* Eſai. 40. v. 12. 17. Sapien: 11. v. 23. Quomodo *non & mediante tali ſuppoſito multis ſimùl locis præſens à DEo ſiſti poſſit,* cum totum univerſum, ut nihilum, hac ratione coram ipſo habeatur? *Et* hic, ſi de Corpore *urgeatur,* quòd ſemper ſpatio ſuo ita commenſuretur, ut extra illud ſimùl eſſe non poſſit in plurib. ſpatiis, *facilè reponi poterit,* Excepto, niſi in ipſum ſuppoſitum divinum trahatur, Ut cum eo unam perſonam conſtituat. *Quod de Corpore Chriſti ex Sacris confitemur.* Hic longè alia privilegia ſortitur, quæ aliàs de Corpore ut ſic, affirmari non poſſunt. V. t. 79. 2. Quia hoc corpus *intimâ, arctiſſimâ, & totali* περιχωρήσει, *circumincesſione & immeatione, filio Dei perſonaliter unitum confitemur. Hinc & cum Filio Dei multis ſimùl locis tale corpus ſiſti poſſe, facilè conſequetur.* Ἀδιαστάτως enim uniti ſunt, homo & Deus in Chriſto, totum toti, non pars parti. *Unà unum cum altero facilè, ubicunq; velit, adeſſe poteſt.* Ubi ergò promiſſum ex verbo habemus, Chriſtum hominem præſentem in terris aliquot in lo-

cis futurum, *vel Corpus & sanguinem ejus hic in terris præsentia futura, ut in Cœnâ promissum habemus, non* difficultates super eo credendo nectendæ sunt, maximè, cum magis incredibilia credantur, *ut in hypostasi ipsius DEi subsistere, Cum ipso unam personam facere, ad ipsam Omnipotentis DEi dextram Corpus istud evectum esse*, V. t. 15. 16.

83. 3. Quia hoc Corpus post passionem & resurrectionem ad infinitam DEi omnipotentis dextram evectum esse credimus, subjectis illi omnibus creaturis, *ac quæ nominari in hoc & futuro seculo possunt, inter quæ & locus ac locorum* διαστήματα, V. §. 16. 30. 4. Quia infinitâ & divinâ gloriâ post passionem hoc corpus exornatum credimus. *Ad illam autem gloriam etiam pertinet, locis dominari posse, illisq; se, quandocunq; & quotiescunq; velit, præsentem exhibere posse. Hæc de* hoc Corpore *ex fide novimus & credimus, de* nullo alio humano aliàs revelatum habemus. *Et multipræsentiam ergò* in tali corpore *possibilem esse*, longè facilius creditu est, quàm in cæteris, *de quibus talia cognita non habemus. Et* in Theologicis *quidem, Ubi* de hoc unico Corpore multi *vel Omnipræsentia ex sacris ostenditur*, singularibus argumentis de singulari subjecto rectissimè proceditur: non Universalibus, de Corpore ut sic & generatim procedentibus, *Ut* Scholastici *procedere solent. Hoc n. tantùm in Theologicis quæritur, &, si ex Sacris ostensum fuerit, satis habetur. De Corpore ut sic,* Philosophus *ex occasione* Theologicorum *quærere potest*, t. 1. 83. *Sed hic plus difficultatis est, Campusq; ex Naturæ rationibus disceptandi aperitur, ac plus scientiæ, judicij, ingenij, & notitiæ variarum rerum*, Metaphysicarum, Physicarum, Logicarum, *requiritur. Quibus cum non omnes* æquè *instructi*, tutiùs *intra Scripturam & Theologica se continent, quàm in amplitudinem Philosophicorum se diffundunt*. V. t. 90. 91. Potest

Adverſario in argumentis ex Scripturâ petitis Theologus quandoq; ſatisfacere. Vt ex Naturâ, Ratione, & Philoſophiâ *petitis*, ac conſequentiis per rationem formatis *non posſit, quod cum Theologo Philoſophum ſimùl requirit. Hic & ex* Naturâ ad poſſibile rei deduci aliquis poteſt, quæ impoſſibile adſtruunt, diſtinctè reſolvi: *Res ipſa, & factum ex Scripturâ demonſtrari, ſicq; tota Veritas evidentiùs exhiberi & repræſentari poteſt.* V.t.73. *Non n. repugnantia ſunt*, Veritas Scripturæ & Naturæ, Vt Coron.Log. *oſtenſum, ſed conſentientia*: Adeoq́ue ex utraq́ue *ad Veritatem evidentiùs in aliquo puncto Adverſario oſtendendam procedi poteſt.* Conf.t.73.

84. VIII. Præſentia Chriſti hominis in his terris, eſt præſentia prorsùs ſingularis, Oeconomica, & Mediatoria, tota mystica & inaudita, exemplum aut ſimile è Naturâ nullum habens. Adeoq; ulteriùs non extendenda, aut determinanda, qùam quorsùm in Sacris promiſsa aut determinata extat. *Ex hoc* ſolutio difficultatum *multarum*, & conciliatio diverſitatum quarundam, *quæ in hac de præſentiâ humanitatis Chriſti in Theologicis occurrant, petitur.* Varij ſentiendi, loquendi, explicandi, decidendi, & determinandi *modi hic eſſe ſolent.* Alij *humanitatem Chriſti* ubiq; ſimpliciter, *perinde ut ipſam λόγου perſonam ponunt, ab ipſo primo Vnionis perſonalis momento, quo in unionem perſonæ Verbi caro iſta aſſumpta eſt.* Alii in Sacramentis & Eccleſiâ *præſentem ponunt, ubi ſe adfuturam promiſit. Et hoc de præſentiâ Chriſti hominis aſſerere, ſufficiens putant.* Alii ubiq; ponunt, *ſed poſt aſcenſionem in cælos & exaltationem ejus ad dextram DEi.* Alii ubiq́ue ponunt *πῶς, in locis hujus mundi, non extra eum.* Alij in totum negant, *in pluribus, quàm uno loco, præſentiâ ſubſtantiæ carnis, ſimùl eſſe poſſe, adeoq; cælo inferunt, ut extra eum nusquam his in terris quà ſubſtantiam ſit, vel eſſe posſit. Ita* Reformati. V.t.1.

Non

Non attinet, omnia hic resecare, quæ variis voluminibus apud Theologos *sunt disceptata.* Pauca *hîc adducam, ad complendam doctrinæ* de Multipræsentiâ *varietatem.* Non ut Philosophis tantùm Nobis disceptandum, sed & ut Christianis & Theologis, *qui principia veritatis Naturæ rerum revelationis spiritualis lumini* & dextrè *applicare*, & debitè *submittere velint.* Punctum *etiam hoc de* Multipræsentiâ ex Theologicorum dogmatum occasione *inprimis ortum est*, V. t. 1. *Cum ex rebus meri luminis Naturalis parum ejus moveri potuisset, si de animâ & spiritu illud excipias*, t. 34. 35.

De Christi *ergo Dei hominis præsentiâ in terris* dico, Eam esse prorsùs singularem, Mediatoriam, & Oeconomicam. Singularem, *quia subjecti prorsùs singularis*, ex DEo & homine personaliter compositi, *quale exemplum aut simile nec Natura rerum habet*, nec de possibili sine præsuppositâ fidei veritate hic quidquam videre potest, *sed ex se & suis principiis* omnia potiùs dissimilia observat: Ex singulari officio promanat, singulari modo, mystico, ac inexplicabili, expeditur, & promissis ac institutis prorsùs singularib. *fundatur, de quib. lumen Naturæ ex se nihil omninò novit, aut novisse potest.* Mediatoriam, *quia competit* & personæ Mediatoris, *quà præcisè Mediatoria est:* & partem officii mediatorii *complectitur*: & fini mediatoris applicatur, seu ad finem aliquem mediatorium exercetur, *Ut officium mediatoris eò completiùs perficiatur, ac finis ejus expeditiùs introducatur.* Personæ Mediatoris est, *quà Mediatrix præcisè est: Non enim hic Deitatem λόγȣ, vel carnem, vel animã Christi, vel subsistentiam Verbi, nobis adesse dicimus*: Sed Christum Mediatorem totum, DEum incarnatum, & hominẽ DEificatum. *Sic enim & Christus præsentiam promisit*, Ego sum *vobiscum*, &c, Matth. 28. *Ego sum in medio eorum*, Matth. 18. Et Scriptura *Christum dominari in me-*

dio ini-

dio inimicorum, regnare, omnia implere, ad fores ſtare, in medio condelabrorum ambulare, dicit, Pſal. 110. 1. Cor: 15. Epheſ. 1. Apoc. 1. v. 13. c. 2. v. 1. c. 3. v. 20. *Non divinitatem ejus, non humanitatem, non carnem aut animam, ſed Chriſtum DEUM hominem. Et ſic* ſemper *de hoc negotio Scriptura loqui ſolet.*

85. Præſentia πρώτως & maximè eſt ſuppoſitorum *& totorum, maximeq; propriè de illis enuntiatur, ut homo, DEus, Petrus, Paulus, eſt præſens:* δευτέρως Naturarum, *quæ includuntur in ſuppoſitis, non excluduntur. Ubi Paulus, Petrus, DEus, præſens, omninò & anima eorum & Natura præſens. Sed non ita reſolvendum; Petrus, i. e. anima & Corpus Petri eſt præſens. Denominationes enim operationum & præſentiarum,* ad tota *ferri debent, non totorum partes. Non excluduntur quidem partes; interim nec primò in enuntiatis denominantur. Petrus flet, ridet, ambulat, præſens eſt. Non excluduntur partes, ſine quibus totum non eſt. Malè tamen reſolvas: Anima aut Corpus Petri flet, ridet, præſens eſt.* Operationes, & denominationes præſentiæ, πρώτως ſuppoſitorum ſunt, non partium & principiorum, niſi partialiter, tropicè, conſequenter, obiter loquendo. Analogicè Attributorum, modorum, & accidentium in ſuppoſitis. *Denominationes tamen his etiam non tribuendæ, quia principalibus & totis hæ debentur, non ſecundariis & partibus.* Malè dices: *Eruditio, color, quantitas, caput, Stomachus, figura, Petri eſt præſens: Optimè, Petrus eſt præſens. Sic propriè DEus, Chriſtus, Angelus, nobis præſens.* Analόγως *benignitas, favor, juſtitia DEI, nobis præſentia.*

Reformati *ita præſentiam Chriſti in terris defendunt, ut humanitatem excludant, negentq; præſentem, quam Cælo concluſam putant. Malè hoc. Partes enim ſuppoſitorum ordinariè non debent excludi à præſentiis: ſed includi & ſubintelligi.* V. §. 94.

Et

Et præsentia Christi in sacris Nobis est promissa, non partis alicujus è Christo. Nostri *ita resolvunt*, *ut* præsentiæ denominationem & ipsis partibus assignent, *ut humanitas, caro Christi nobis dicatur præsens.* Δευτέρως *& secundariò hoc intelligendum. Caro est præsens, quia à præsentiâ suppositi DEI hominis Christi non excludenda, sed includenda, Ubi præsentia Christi promissa est. Primò & accuratè Christus DEus homo & Mediator nobis in terris est præsens, ubicunq; præsentem se futurum asseruit. Et sic Scriptura de Christo præsentiam promittit*, Matt. 18. & 28. Propter adversarios, sub personæ nomine solam Naturam divinam nobis offerentes, necessitas adegit ita loqui, ut expressa humanæ Naturæ fierit mentio. Sanctissimè secùs Sp. Sancti stilum & phrasin observaturi, nisi perversâ illam interpretatione adversarij corrumperent. Ut de totâ hac *re rectè & uberiùs differit* D. Mentzerus T. 5. Gies. d. 7. t. 41. seq. *Qui omninò hic videri potest.*

86. Nec in præsentiâ Christi Scriptura usquam dicit, *humanitatem vel DEitatem ejus esse nobis præsentem, sed Christum esse præsentem.* In operationibus & passionibus, similibusq; assignandis, *interdùm terminis humanitatem signantibus utitur. Ut* Sanguis *Christi emundat nos à peccato.* 1. Ioh. 1. v. 7. 1. Pet. 1. v. 19. Hebr. 9. v. 12. 14. Apoc. 1. v. 5. c. 5. v. 9. Caro Christi *verè est cibus, sc. vivificus, sanguis ejus verè est potus, &c.* Joh. 6. v. 55. *Christus passus est carne*, 1. Pet. 3. v. 18. c. 4. v. 1. Sed in præsentiâ assignandâ semper vocibus personæ & suppositi utitur. *Est enim præsentia hac* Mediatoria *in Christo, & ad officium ejus Mediatorum pertinet*, §. 84. *Officij autem nomina* Christo ut composito, *in concreto tribuuntur magis propriè, quàm alteri Naturæ in abstracto. Officium enim secundùm utramq; naturam peragitur. Ita &* Patres *in præsentiâ Christi vocibus fermè suppositi utuntur.* Ut Ambrosius in c. 4.

Hebr. Num,quia in multis locis offertur, multi Chriſti ſunt? Nequaquam: ſed unus ubiq; eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens, & illic plenus. Prudentius d. coronis, hym. 4. Chriſtus in totis habitat plateis, Chriſtus ubiq; eſt. *Aliiq.*

87. Interdùm ſpecialiter ad partes in Chriſto delabi fas eſt, *& carnem aut ſanguinem ejus adeſſe dici poteſt: Sed* tùm rem peculiaris inſtitutionis, promiſſionis, & pacti, eſſe oportet. *Nec* de nudâ præſentiâ, ſed ſpecialiore aliquo modo *determinatio futura eſt. Ita in Sacramento Euchariſtiæ Corpus & ſanguis Chriſti peculiariter & Sacramentaliter legantur, adeoq; præſentia dicuntur.* Sed non nuda præſentia promittitur: verùm manducatio & bibitio, *ac Carnis & ſanguinis Chriſti* Sacramentalis & peculiaris communicatio, 1. Cor. 10. v. 16. inſtituitur. Ut panis iſtius fractio & diſtributio Corporis Chriſti communicatio, vini iſtius diſtributio & bibitio ſanguinis Chriſti communicatio *eſſe debeat. Hoc* jam longè aliud eſt, *quàm præſentia. Etſi perſona Mediatoris tota Sacramentis Eccleſiæ praſtò ſit:* Non tamen in Cænâ manducandum cum pane Sacramentaliter quidquam jubetur, niſi corpus; non cum vino bibendum, niſi ſanguis Chriſti. *Hoc* ad peculiarem & Sacramentalem inſtitutionem & pactionem *jam pertinet, quæ inſtitutio etiam* pars officij mediatorij Chriſti *eſt. Nec de* ſolâ præſentiâ *Chriſti hic quæſtio: ſed* quid manducandum & bibendum in Cænâ præter panem & vinum, ex inſtituto & voluntate ipſius Chriſti, porrigatur. *Hic non de ſolâ Mediatoris perſonâ reſpondendum: Sed ſpecialiùs* ad legata cujusvis Sacramenti bona & inſtitutionem *reſpiciendum, Qualia hic in Cænâ ſunt*, quoad ſubſtantialia legata, *Corpus & ſanguis Chriſti: quoad* finalia & moralia, *beneficiorum Chriſti* Obſignatio, Chriſti fidelis commemoratio, mortis ejus publica coram Eccleſiâ annunciatio, *unio cum Chriſto arctiſſima, & fidei robora-*

beratio, ac promissorum divinorum confirmatio. Ac ubi communionem Corpor. & sanguinis Christi hic credas, rem ipsam & fundamentum teneas, etiamsi de præsentiâ nihil constituere possis. *Quod* simplices Christianos *non posse certum est. Rectè hîc* D. Mentzerus in Anti Mart: p. 22. Corpus Christi præsens esse dico in S. Cænâ. Quare? Propter institutionem. Non dico, absolutè propter unionem hypostaticam. Nam sermo est de præsentiâ mysticâ & sacramentali, quæ faciat, ut cum pane benedictio Corpus Christi manducetur, id quod nunquam ex solâ unione hypostaticâ eviceris.

87. Pars officij Mediatorij in Christo præsentia Christi est, quia officium *illud inter alia regium etiam complectitur, quo Christus ut Rex, Princeps, Dominator, & judex, ut* Zach. 9. Ezech. 37. v. 25. Malach. 3. v. 1. Esai. 33. v. 22. *appellatur, præesse suis, tueri, gubernare eos, cohibere hostes, & in medio eorum dominari, ac molimina ipsorum dissjcere debet. Hæc autem* divino modo non fiunt, nisi Substantiæ præsentiâ præassumptâ. *Non enim DEus humano more dominatur, Substantiâ absens, sed præsens. Et quia Christus DEus & homo mediator est, & secundùm utramq; Naturam, non alterutram, officium Mediatoris exequitur, ac ad hoc & præsentem eum gubernare sua requiritur, & secundùm humanitatem Ecclesiæ præsentem eum esse oportet, non absentem. Adesse enim Ecclesiæ, tanquam Regem à DEO constitutum, omnia gubernantem,* Christo competit, ut Prophetæ docenti, ut Sacerdoti oranti & benedicenti, ut Regi protegenti & servanti. Quod autem ita ei competit, ad officium ejus pertinet. Officium autem Mediatorium secundùm utramq; Naturam peragitur, & divino modo peragitur à Christo, non humano, *qui Substantiæ absentiam in rebus terrenis admittit. Christus ergò* homo DEus & DEus homo præsens adest Ecclesiæ in his terris, tuetur ac defendit eam, *& in medio*

hostium Ecclesiæ dominatur, vires, cogitata, insultus eorum prævidens, cohibens, & quæ fiunt, in salutarem finem dirigens. Non excludenda hinc humana Christi natura, *quæ ab officio Mediatorio excludi non debet: Etsi nec* primò denominatio ei ut parti *tribuenda, sed toti composito, Christo DEo homini, & homini DEo, ut §. 85. visum.*

88. Finis Mediatorij gratiâ à Christo expeditur. *Ideò Christus Homo DEus præsens Ecclesiæ esse dicitur, ut promissionibus Ecclesiæ datis satisfaciat,* Matth. 28. v. 20. cap. 18. v. 20. *Et omnia Spiritualia, quæcunq; ad Spirituale complementum in Ecclesiâ N. T. implenda erant, ac ob quæ implenda in Cœlum ascendere necessum erat, impleat,* Ephes. 4. v. 10. Quæ verba de præsentiâ & efficaciâ in Ecclesiâ, adeoq; impletione gratiæ in eâ intelligenda esse, v. 11. 12. & tota contextus series ac cohærentia *de Eccesiâ & donis in Ecclesia, & Doctrinâ Spirituali ac perfectione Ecclesiæ Spirituali agens, apertè docet, & mecum fatetur* versatissimus in his materijs Theologus, D. Mentzerus in Anti Mart. p. 28: *Vt verbo & Sacramentis homines ad salutem vocet, convertat, regeneret, vivificet, sanctificet, confirmet, consoletur, justificet, tandemq; glorificet. Et sic* ad consumationem sanctorum, in opus ministerij, & ædificationem Corporis Christi omnia peragat, *ut in Spirituali cognitione perficiamur,* v. 11. 12. 13. *Imò* Lutherus *de efficaciâ operationis Christi explicat* in gloss. Marg. ad h. l. **Das er alles in allen dingen wircke/vnd ohne jhn nichts gethan/geredt/noch gedacht werde.** *H. e. Vt omnia in omnibus* Christus *operetur, successum & progressum sufficiat, ut sine eo nullus sit, nihilq; agatur, dicatur, aut cogitetur. Quod &* cap. 1. v. 22. 23. & Coloss. 1. v. 10. 19. *ulteriùs patet. Vnde potestas omnis regiminis istius in cælo & in terrâ Christo tradita dicitur,* Matth. 28. v. 18. *Vt ex eo,* quod ipse passus est, & illis, qui tentantur, succurrere possit. Hebr.

2. v. 18. *Hinc* humanitas Christi excludenda non est. *Nam & secundùm eam est frater & cognatus noster*, Heb. 2. v. 14. 17. *& in omnibus ut nos secundùm eam tentatus est, peccato excepto*, c. 4. v. 15. *Quod nullum habuit, nec habere potuit. Hinc & cognatas Naturas* Apostolus *connectit, & tentationes jungit*, Indeq; *Eum nobis, qui tentamur, succurrere posse deducit.*

Carne autem tentatus est Christus, eaq; frater noster est. E. & carne nobis, qui tentamur, adesse potest. Nulla enim esset consequentia: *Christus tentatus est carne, eaq; similis est nobis, ut Deitate suâ succurrere tentatis posset. Ita* Christus habitat per fidem in cordibus nostris, Eph. 3. v. 17. Inhabitatio autem Christi ad utramque ejus naturam pertinet, quâ Mediatorium munus exercet, nec absentiam, sed præsentiam intimam apud eos, quos inhabitat, infert. *Nec præsentiam solius gratiæ infert, sed substantiæ prærequirit.* Nusquam enim DEus, sive incarnatus, sive sine carne, adest præsentiâ gratiæ, nisi ante ibi sit præsentiâ substantiæ, t. 81. *Unde qui Ecclesiæ per totum orbem dispersæ præsentiâ gratiosâ adest, omnibus rebus præsentem dominari oportet.* In hac mecum sententiâ *conspirat* Theologus antè citatus, D. Mentzerus, *præsentiam Christi in terris Mediatoriam esse, & ad officium mediatorium pertinere affirmans.* Loco cit. p. 28. Præsentem, ait, & efficacem esse in Ecclesiâ, pertinet ad officium Mediatoris, quod officium, ut natura humana obire posset, ornata est divinis ἐνεργείας, ut ait Damascenus. P. 506. Præsentia Christi in Ecclesiâ spectat ad Christi Mediatoris officium. Quare graviter peccat Martinius, ex Naturæ *proprietate differens contra officium Christi. Similia* p. 232. 233. c. l. & T. 6. Gies. d. 16. t. 41. 44. *atq; alibi habet. Eodem modo* D. Affelmannus disp. d. commun. nat. & prop. in Christo, t. 184. Adesse creaturis, ut Regem à DEo constitutum, aut est divinitatis na-

turale attributum, *aut effectum ſive adjunctum humanitatis, aut Chriſti Regis officium ſeu ἀποτέλεσμα. Non primum, non ſecundum. E: tertium.* Vel ita: Quicquid Chriſto competit, ut Prophetæ, Sacerdoti, & Regi, illud eſt Chriſti officium. *Adeſſe Eccleſiæ tanquam Regem à DEo conſtitutum, omnia gubernantem, Chriſto competit, ut Prophetæ docenti, ut Sacerdoti oranti & benedicenti, ut Regi protegenti & ſalvanti. E. illud eſt officium Chriſti.* Ex ipſis Reformatis *huc quædam facere apud* D. Mentzerum d. 10. apolog. c. Crocium t. 29. ſeq. *vide*.

89. Oeconomicam dico illam Chriſti præſentiam, quia peculiari diſpenſatione DEI nititur, officium Chriſto datum reſpiciente, illiusq; finem intendente. *Adeoq́, non* ex ſolâ Naturarum proprietate *in Chriſto deducenda, ut ex ſolâ divinitatis immenſitate, quam ſimpliciter ubiq́, eſſe oportet*: vel ſolâ humanitatis finitate *neganda, quæ ex Naturâ ſui nonniſi uno determinatoq́, ſpatio pro ratione veræ humanitatis adeſſe poſſit*: Sed ex peculiari diſpenſatione, officij Chriſti relatione, placito & voluntate divinâ, *verbo, promiſſionibus & inſtitutionibus revelatâ*. Spectatur hic præſentia Chriſti vel etiam Omnipræſentia aut Vbiquetas, ut quid. vocant, non tantùm, ut Naturale & eſſentiale idioma filij DEI: Sed potiùs, ut conſideratur in officio redemptoris, Quod officium non tantùm convenit Naturæ divinæ, ſed toti perſonæ ſecundùm utramq́; Naturam. *Vnde conſequens, axioma* Sadeelis *non eſſe per omnia verum*: Quidquid eſt omnipræſens ſeu ubiq;, eſt infinitum, increatum, & uno verbo, DEus. *Si loquatur de eſſentiali proprietate divinâ abſolutè, verum eſt pronuntiatum. Sin intelligat de Omnipræſentiâ Redemptoris, quatenùs ea inſervit officio Chriſti regis, ad exerendam omnem poteſtatem in Cœlo & in terrâ, non ſimpliciter verum eſt. Sed* tùm, qui accuratè loquuntur, ita *proponunt*: Quicunq́; eſt omnipræſens in munere regio exe-

exequendo, eſt DEus & homo, non tantùm Deus, nec tantùm homo. *Agitur enim hic* de officio Chriſti, *non abſolutè de Naturarum proprietate. Actiones autem & paſsiones competunt* perſonæ, *non huic vel illi Naturæ ſeorſùm.* Sunt verba D. Mentzeri in Anti-Mart. p. 232.

Iam, ubi Chriſtum Deum & hominem promiſſio divina præſtò futurum ſpondet, ibi certiſſimè eum & quà humanitatem adfuturum, fides Chriſtiana profiteri debet, rejectis aut ſuſpenſis in credendo quibuſvis Contrarietatibus, *quas in adeſſendo hic mens humana varijs ratiocinationibus ſibi efformare posſit.* Vbi promiſſio eum futurum non dicit, ibi nec fides Chriſtiana per varias conſequentias, rationes, ſpeculationes, ſubtilitates, & intricationes, extra verbum vagantes, *Corpus ejus ſibi formare debet. Præſentia hac* prorſùs ſingularis eſt, *exemplum aliud nec in Naturâ, nec extra eam habens, ſed* tota peculiari voluntate, diſpenſatione, & promiſſione nixa, *non noſtris conſequentijs aut ratiocinationibus conſtringenda, extendenda, aut determinanda, quorsùm nobis videri per noſtras ratiocinationes aut conſequentias posſit. Sic enim in rebus* certo pacto nixis *procedere ſolemus, ut non ultra ſenſum promisſionum & pactorum eas extendamus, ac pacta promittunt.* Magis in Myſticis his, & quæ meriſſimâ revelatione innoteſcunt, procedere debemus, Et extra revelationem ſapere Chriſtianum non decet. *In myſteria Evangelica & Angeli* παρακύψαι *deſiderant.* 1. Pet. 1. v. 12. Quid in illis nos homulli *citra revelationem pronuntiare, & ampliare*, & os contrahere, aut diſtendere *pro placito audeamus?* V. t. 96. Poteſt ſanè hæc præſentia etiam ſpiritualis dici, ſi de modo præſentiæ generatim accipiatur. *Nec enim corporali, craſſo, & Phyſico modo Chriſtum Eccleſiæ in his terris adeſſe dicimus, ſed verè ſpirituali & divino:* Non autem, ſi ſpiritualis ſit, quòd ſolâ divinitate & Spiritus ſui gratiâ Chriſtus adſit.

90. Porrò, ſi Revelationem de myſterio præſentiæ Chriſti hominis conſulamus; *eum Eccleſiæ praſtò futurum promiſſum eſt.* Matth. 18. v. 20. c. 28. v. 20. *Eum* in baptismo *adeſſe, verba inſtitutionis docent, ubi in nomen Patris, Filij, & Spiritus S. baptizari jubemur.* Matth. 28. v. 19. In S. Cœnâ *Eum adeſſe inſtitutio Cœnæ docet, quâ Corpus & ſanguinem ejus edere ac bibere jubemur.* Matth. 26. v. 26. In medio candelabrorum *ſeu Eccleſiæ ipſum ambulare, viſio* Apoc. 1. v. 13. *docet.* In medio hoſtium *dominari*, Pſal. 110. v. 2. A mari uſque ad mare, *& usq; ad fines terræ,* Pſal. 72. v. 8. *Regnare, donec hoſtes ejus ad ſcabellum pedum ponantur,* 1. Cor. 15. v. 25. Hebr. 10. v. 12. Scriptura dicit. *Ad dextram DEI evectus, omnia ſub pedibus ſubjecta habere dicitur.* V. §. 81. *Omnia in omnibus in Eccleſiâ implere dicitur.* Eph. 4. V. §. 87. Hæc & ſimilia, in Scripturâ *de præſentiâ & dominio Chriſti hominis revelata ſimplice mentis aſſenſu Chriſtiano ſunt recipienda, & hic ſiſtendum. Vltrà cogitata extra revelationem non extendenda.*

Auctarium.

Ad t. 80. *& ultima ejus verba, hæc adjici poſſunt.* Sic Scholaſtici negant, *Deum actu infinitum aliquod mole vel numero condere poſſe; & abſolutè id de facto impoſſibile cenſent.* V. Tannerum To. 1. d. 2. q. 4. d. 2. *Similiter* Contradictionem *implicare dicunt, aliquam Creaturam ſecundùm extenſionem actu eſſe infinitam, Vt* Idem c. l. dub. 3. n. 12. Negant, *Creaturam poſſe eſſe immenſam, adeoq; nec in locis in infinitum multiplicatis omnipræſentem, niſi infinita fiat, Vt* Idem d. 5. q. 2. d. 1. n. 13. Negant *etiam, Mundum, vel ullam creaturam, ab æterno à DEO creari potuiſſe, Vt* Idem d. 6. q. 1. d. 3. n. 11. *facit, Et celebres* authores *ita ſtatuere* t. 79. *dictum eſt. Nec tamen poteſtati infinitæ terminos per id poni, eamvè ſtringi opinantur. Nec ergò per id, quòd* Creaturam in infinitis ſpatiis ſiſti poſſe negemus, *poteſtati iſti terminos poni cenſendum erit.*

